
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00650754 5

PHILIPPI MELANCHTHONIS
STUDIA PHILOSOPHICA
QUAM RATIONEM ET QUID MOMENTI AD EJUS THEOLOGIAM HABUERINT,
QUAERITUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOSOPHICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS
DIE XIV. M. JULII A. MDCCCLXXXV HORA XII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

OTTO RIEMANN
PASTOR ECCLESIAE EVANGELICAE.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
RIETSCHL, LIC. THEOL.
ALBERTZ, PASTOR.



HALIS SAXONUM
TYPIS FRIESE & FUHRMANN MAGDEBURG
MDCCCLXXXV.

Philippi Melanchthonis
studia philosophica
quam rationem et quid momenti ad ejus theologiam habuerint, quaeritur.


DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS
DIE XIV. M. JULII A. MDCCCLXXXV HORA XII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

OTTO RIEMANN
PASTOR ECCLESIAE EVANGELICAE.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
RIETSCHL, LIC. THEOL.
ALBERTZ, PASTOR.

HALIS SAXONUM
TYPIS FRIESE & FUHRMANN MAGDEBURG
MDCCCLXXXV.


LIBRARY
MAR 28 1973
UNIVERSITY OF TORONTO

ELANCHTHONEM puerilibus fere annis jam ad philosophiae studium se contulisse quis est, qui nesciat?

Heidelbergae et Tubingae in academia versatus summo labore non tantum litteris graecis latinisque operam dedit, sed etiam philosophiae, dialecticae, mathematicae, interque philosophos et bonarum artium doctores praecipue Simlerum et Franciscum Stadianum audivit. Quibus in litterarum generibus inter omnes aequales excellebat et studio et ingenio, ut re vera omnium in semet oculos animosque converteret. Nam tanta in eo erat memoriae vis, tanta discendi celeritas, ut „discipulusne an doctor et professor prius esset“ dubitandum censerent condiscipuli. Neque vero, quamquam multa variaque litterarum genera, quae quidem ad animum excolendum et ad mores expoliendos putaret pertinere, summo studii ardore pertractabat, in ullo genere majore constantia studioque versabatur, quam in philosophiae fontibus aperiendis quaestionibusque disserendis, quae ad illud genus spectare videbantur. Verba hic afferre liceat, quibus Vinshemius defunctum Melanchthonem praedicavit[1]: „Agitabantur, inquit, eo tempore in scholis

[1]) Corpus Reform. X., p. 191.

quaestiones, quae habebantur vel Gordio nodo difficilius explicabiles, de propositionibus modalibus, item de universalibus realibus, multum hae rixarum inter disputantes pariebant, de his enim inter se jugiter digladiabantur, hos nodos ipse dissolvit et certamina haec cum magna omnium admiratione sustulit.“ At adolescens ille brevi cognovit, illas exercitationes maximam partem ludiera acuminis esse et nugas philosophicas, e quibus nullus verae cognitionis fructus posset percipi. Quod cum perspectum haberet cognitumque, quantopere cum litterarum tum maxime philosophiae studia illis temporibus a vera ratione aberrassent summisque implicata essent erroribus, quo erat et ingenii acumine et amore veri cognoscendi, non potuit ignorare. Hoc a nobis vere dictum esse, vel inde maxime intelligi potest, quod certa testimonia exstant, e quibus sine dubio apparet, Melanchthonem jam prima juventute consilium cepisse, philosophiam ex eo statu, ad quem paulatim defluxerat, ad pristinum dignitatis gradum revocare. Citetur testis epistola illa, qua Bernardo Mauro anno MDXVIII grammaticam graecam illam „institutiones graecae grammaticae, accentuum exquisita ratio etc.“[1]) praescriptam dedicavit, in qua scriptum videmus, maxime esse enitendum, *τὴν γνησίαν φιλοσοφίαν* instaurare, ne perpetuo bona ingenia *τοῦτο τὸ καρικὸν θῦμα τῶν ἀφιλοσόφων σοφισμάτων* patiantur. Ac qua ratione hoc perficiendum esse arbitratus sit, ex iis verbis elucet, quae in fine „institutionum“ occurrunt. Haece enim verba in hoc libro legimus: „quae in Aristotelem hactenus apud Germanos scripta sunt, a nescio quibus, veluti in stipem emendicata, adeo non referunt Aristotelem, ut indignum sit nobile *περίπατον* in hos rhapsodos

---

[1]) C. R. I., 26. 27.

incidisse." Quam vocem si quis legerit secumque reputaverit, nonne eum Melanchthoni putatis summae tributurum esse laudi, quod non solum satis perspectum habuit, quid in illorum temporum studiis atque litteris falsum perversumque esse videretur, sed etiam viam aperuit rationemque patefecit, quam si aequales sequerentur, fieri posse arbitratus est, ut litterarum ingenuarum studia maximeque philosophia reviviscerent novoque splendore illustrarentur. Neque quidquam de summa hujus viri laude detrahere mihi videtur, quod quae sibi recte proposuerat, tunc non perfecit; nam quoquo modo hoc se habet, eum summa assiduitate in studia philosophica incubuisse et maximo labore potissimum in philosophia Aristotelica versatum esse, nemo infitiabitur.

Quo philosophiae amore inflammatus cum ad scholas habendas Vitebergam vocatus esset, sese philosophiae omnibusque bonis artibus summo studio tradidit. In ipsa enim prima oratione[1]) ibidem habita pronuntiavit, se ad docendas veteres litteras illuc vocatum id suum esse arbitrari, ut bonorum studiorum et renascentium Musarum causam tutandam susciperet adversus barbaros. Quod quidem eo magis necessarium erat, quo longius illius temporis academiae a perfectionis norma distabant, quam Melanchthon postea sequebatur. Neque est cur hoc miremur, si, quo animo plerique studiosi illorum temporum fuerint, in memoriam revocamus. Non ad animos litteris ingenuis liberalibusque artibus informandos, non ad verum cognoscendum, non incensi amore quodam litterarum, sed tamquam mercenarii omnia ad utile referentes plerique studiosi tum se ad litteras conferebant, neque altam illam

---

[1]) C. R. XI., 15.

habebant mentem, qua qui carent, ad veram rerum cognitionem non possunt pervenire. Carpit Melanchthon deteriorem istum academiarum statum acerbissimis verbis[1]): „accidit, inquit, Musis hoc tempore in mundo, quod Strabo cuidam citharoedo olim apud Jassum accidisse memorat. Qui cum in theatro ejus loci erudite ac suaviter caneret audirentque eum Jassii, statim ut increpuit tintinabulum, quod signum illis erat venum expositorum piscium, illico omnes citharoedo relicto ad pisces emendos dilapsi sunt, praeter unum surdastrum, qui cum sonum tintinabuli auditu non percepisset, solus remanserat. Ad eum igitur conversus citharoedus: o homo, inquit, gratias tibi ingentes habeo cum propter musicae studium tum propter honorem mihi praebitum, quod non sicut ceteri statim ad crepitum tintinabuli foras projecisti te, ut pisces emeres. At ille: quid ais? num jam tintinabulum sonuit? Qui cum affirmaret: At tibi bene sit, inquit, ac surgens protinus ipse quoque foras ad emptionem piscium procurrit. Ita his temporibus haec studia quoque et litterae negliguntur." Quem quidem sensum mercenarium et *βάναυσον*, quem vocare possumus, vehementissime impugnabat „magister Germaniae", quo titulo insigni nominatur Melanchthon, veram philosophiam iterum in lucem proferens, quoniam jam tum persuasum habebat novam praecipue in studiis philosophicis rationem esse ineundam. Atque ad hanc opinionem eo magis deductus est, quod rationem scholasticam, quantopere in quaestionibus pertractandis inque philosophiae fontibus aperiendis a natura ipsa atque a veritate aberraret, satis perspectam habebat cognitamque.

Huc accessit, ut Melanchthon, postquam Vitebergae in

---

1) C. R. XI., 398.

intimam Lutheri familiaritatem receptus est, animis illius temporis splendore ardoreque cognitionis evangelicae illustratis atque inflammatis, ad impugnandos errores scholasticos etiam evangelii propagandi causa incitatus sit. Quin etiam tunc aliquamdiu in periculo erat, ne omnino omnem philosophiam despiceret. Lutherus enim ejus intimus a philosophis non tantum nihil auxilii exspectabat, sed etiam tantopere eorum artem, praecipue Aristotelis philosophiam contemnebat, ut judicaret: „Aristoteles ad theologiam est tenebrae ad lucem“: et impium eum Papistarum praesidium ac telum vocaret; quos quidem in motus sine dubio Melanchthonem aliquamdiu ducebat. Ad hoc mihi spectare videntur, quae in defensione illa leguntur, cui titulus inscribitur[1]) „Didymi Faventini adversus Thomam Placentinum oratio pro Martino Luthero theologo“. Ex qua defensione pauca tantum hic affero: „non damnat Lutherus, inquit ibidem Melanchthon, eam philosophiae partem, quae mathemata, quae gemmarum, plantarum, animantium naturas descripsit. Breviter collaudat, quae de rerum natura fere sunt a medicis conscripta. Damnat autem eam philosophiae partem, quae de rerum principiis, ventorum ac pluviarum causis prodigiosas nugas comminiscitur adeoque quidquid id est, quod Aristoteles vocat physica ἀκροάματα καὶ μετὰ τὰ φυσικά, damnat quidquid de moribus a philosophis proditum est.“ Qua in re quomodo congruat cum Luthero Melanchthon, plane e sequentibus, quae ibidem scripta sunt, liquet: „Atque hic mihi nolim veterum calculos suffragari, quorum alii legibus, alii conscriptis orationibus, alii poematis philosophiam damnarunt, homines ingeniosi, quantum intelligo, videbant enim hoc

---

[1]) C. R. I., 301. XXI., 84. 85.

sapiendi genus inutile rebus publicis esse, videbant anxia et curiosa disceptatione mascula juventutis ingenia enervari, videbant perpetuis digladiationibus verum obscurari magis quam explorari. Proinde ejecerunt urbe philosophos Romani, item Messani. Inclytus rex Antiochus severissimo decreto animadverti jussit et in adolescentes, qui philosophabantur, et in patres, qui id permittebant liberis etc. Nolo, inquam, mihi veterum calculos suffragari, qui videri fortasse possunt, philosophiam temere non judicio damnasse. Auctorem enim habet sententiae suae Lutherus gravem et cui non est fas refragari, divum Paulum; is caveri jubet, ne quis nos per philosophiam depraedetur." Scilicet non nunquam quae contra philosophos dicit multa etiam acriora sunt.

Itaque iterum atque iterum quaerendum est, unde tale philosophiae odium ceperit. Respondemus: tantum cepit e distortione et depravatione, qua depravarant philosophiam scholastici. Atque permirum mihi videtur, si nonnulli nostrae memoriae philosophi catholici venditatione quadam et ostentatione doctrinae demonstrare volunt, philosophiam scholasticam plane sinceram fuisse; ut Liberatore quidam in libro „cognoscendi praecepta, quae D. Thomas Aquin. dedit" [1]) praescripto negat, philosophos scholasticos quidquam dixisse, quod non cum catholicorum patrum scriptis cohaereat, et omnia, quae opprobrantur philosophiae scholasticae, Averroismo dat crimini, cum scholastici, ubinam ex Aristotele hausissent, semper sincero Aristotele fuissent usi. Utrumque confutatu non difficile est. Revera scholastici philosophi hauriebant ex Aristotele atque omnia, quibus huic opinioni repugnat Liberatore,

---

[1]) Liberatore, „Die Erkenntnislehre des h. Thomas" p. 101 sequ.

argumenta adeo non vera sunt, ut ipse concedat, scholasticos per Cassiodorum et Boëthium cum Aristotele esse conjunctos. Idem cum tali modo alium Aristotelem scholasticum alium Aristotelem Averroisticum esse velit, non ex omni parte errat. Neque vero ulla ratione demonstrat, quod promiserat, quamquam tot affert verba, scholasticos semper rectius explanasse Aristotelem quam Averroistas, quos accusat, quod Dei libertatem et providentiam negarint, quod mundum non creatum sed aeternum esse contenderint etc. etc. Melanchthon idem exprobrat tum Averroi [1]), tum omnibus suo tempore scholasticam philosophiam tradentibus, nam in epistola quadam, quam supra commemoravimus, haec dicit verba: „jam si dogmata conferamus nonne innumera sunt istehic, quae cum divinis litteris pugnant? Mundum aeternum esse, immutabiles esse coelestium orbium motus, animam hominis una cum corpore interire et hoc genus alia, quibus imbuti juveniles animi, cum ad divinas litteras accedant, nimirum ab equis ad asinos desilire sibi videntur velut antea in iis versati, quae ingenium, quae eruditionem alant, nunc vulgare et idioticum sapiendi genus meditaturi, in quo experiri vim ingenii nusquam possunt.“ Ex ipsa rei natura sequitur, ut fere eadem utrique opinioni sint opprobrio, cum Aristoteles exempli gratia revera mundum aeternum esse docuerit nonnullaque alia ejus dogmata philosophica aliqua ex parte falso accepta sint a scholasticis, ita ut Melanchthon jam tum maxime persuasum haberet, Aristotelem scholasticum minime esse principalem. An non dicit in ipsa defensione pro Luthero scripta, quam saepius commemoravimus — ut id quoque abunde addam —: „o sapientes homines et dignos

---

[1]) C. R. XI., 829 u. XIII., 149.

prorsus philosophorum nomine. Adeoque in tota physica acroasi numen istorum, Aristoteles, veterum tantum opiniones de rerum causis recenset, aliud praeterea non agens. Immo quae a veteribus civiliter dicta erant, maligne interpretans carpit et arrodit." Itaque omnibus illis vitiis et damnis perspectis ipse postea defensor exstitit, qui causam Aristotelis a scholasticis argutiis sejungeret.

Nempe aliquamdiu omnem philosophiam despiciebat et pro nihilo fere putabat[1]). „Eorum requiro prudentiam, dicit aliquo loco, qui sacra philosophia (religione christiana) neglecta in gentilium philosophorum libris macerantur et senescunt — quasi peripatetica philosophia non magis praepediat ad Christi doctrinam quam expediat viam; an semper christiani ignorabimus, mundi sapientiam apud Deum esse stultitiam?"

Nimirum brevissimo tempore hoc erratum agnovit, cum sibi persuaderet, ignorantiam et barbariem religioni christianae tantum detrimento esse fanaticosque istos anabaptistas, Carolostadium, alios, qui studia et artes stulte fastidirent, omnia miscere et perturbare[2]). Vehementissime igitur eos insectatur, quoniam qui sacras litteras sine aliarum artium atque litterarum adminiculo tentarint, sine pennis volaturi ei videntur[3]). „Perhorrescerent animi piorum, ait, si inter pia sacra viderent aras sordibus ac coeno conspurcari. Non minus autem mali est doctrinam coelestem obruere barbarie quam aras inter ipsa sacra polluere." Stultissimos vocat, qui nihil esse pietatem nisi contemptum omnium bonarum litterarum, omnis priscae eruditionis, sint arbitrati. Exempli gratia anno MDXXIV

---

[1]) C. R. I., 122.
[2]) C. R. I., 593. 613.
[3]) C. R. XI., 658.

Spalatino scribit: „sed heus tu homo theologus philosophari coepisti? nescis hoc tempore quantum cum philosophia theologis bellum sit? Ego summo labore curaque eam tueor non aliter atque aras nostras et focos solemus“. Et quanti posthac philosophiam aestimaverit, e nullo loco planius apparet quam ex oratione illa[1]), quam anno MDXXXVI de philosophia habuit, in qua ostendit, ecclesiae opus esse liberali eruditione et non tantum cognitione grammatices, sed etiam aliarum multarum artium et philosophiae scientia. Legimus ibidem haece verba illustria: „Artium ipsarum dignitas et vis non alibi magis conspici potest, quam si videmus, quantum opus sit illis in ecclesia, quantis tenebris obruat inscitia religionem, quantam vastitatem, quam horribiles dissipationes ecclesiarum, quantam barbariem et confusionem totius humani generis pariat. Haec si quis considerabit, ita demum existimare poterit, quanta sit artium ac doctrinae vis et magnitudo!“ Et alio loco: „Ilias malorum est inerudita theologia!“

Sed haec hactenus; transeamus nunc ad **ipsa Melanchthonis studia philosophica adumbranda et perscrutemur, quid momenti ad ejus theologiam habuerint.**

Veterum auctoritati parens, qui distribuebant philosophiam in dialecticen, physicen, ethicen, Melanchthon in easdem tres partes eam discripsit, quarum quidem una artes dicendi, altera physiologiam, tertia praecepta de moribus explicat[2]).

Quam partitionem eo magis retinebo, quod Melanchthon eadem serie in his litteris occupatus est.

Itaque primum **de illius studiis dialecticis nonnulla**

---

[1]) C. R. XI., 278.
[2]) C. R. XII., 689.

afferam et quid momenti ad ejus theologiam habuerint, exponam;

deinde de physiologia aliquid adjiciam ac quatenus ad ejus theologiam pertinuerit, explicabo;

tum ostendam, quomodo tractaverit praecepta de moribus tradita a veteribus et quantam eadem vim habuerint in ethicam theologicam et in omnes Melanchthonis opiniones religiosas;

denique consummabo, quomodo studia philosophica ei dederint illam animi altitudinem, quam admiramur.

Ac primum quidem ad Melanchthonis studia dialectica nos convertamus.

Postulat „magister Germaniae", ut quomodo quisque reipublicae alicujus civis sit, ita aliquam homo doctus sectam philosophicam sequatur. Atque id philosophiae genus eligendum esse dicit, quod quam minimum habeat sophistices et justam retineat methodum; talem esse Aristotelis doctrinam. Nec vero fieri posse, quin multa falsa sophistice misceant hi, quibus ignota sit via illa docendi, quam monstraverit Aristoteles. Itaque illi inter omnes philosophos principatum defert ejusque monumentis nos omnino non carere posse contendit[1]). Quantum autem Aristoteles vicerit alias sectas, praecipue ex eo intelligi posse, quod dialectica nulla alia digna sit visa, quae ad posteros perveniret, nisi Aristotelica. Cujus quidem monumenta non tam doctrinae ipsius causa summo labore pervolutabat excutiebatque Melanchthon quam causis practicis impulsus. Neque tamen negari potest Melanchthonem philosophiam coluisse ipsius quoque philosophiae amore deductum. Quin etiam tanto eventu

[1]) C. R. XI., 282. 343. 348.

in ea versabatur, ut revera in rebus philosophicis non minus quam in theologicis totius mundi „protestantici“, qui vocatur, magister fieret. Attamen, quamquam amorem philosophiae in mente infixum retinebat, nullo alio animo eam tractari voluit nisi eo, ut vel ad quaestiones theologicas vel ad recte honesteque agendum vel ad communem vitam certis institutis temperandam aliquid afferret adjumenti. Qua ratione, cum philosophiam putaret non propter se ipsam expetendam esse, fieri non potuit, quin cognitioni litterarum eum modum daret terminumque, qui, cum non a natura ipsa illarum litterarum repetitus esset, Melanchthonem plerumque impedivit, quaestiones philosophiae suis ipsius principiis metiri atque judicare. Hoc Melanchthoni opprobrio facere mihi videtur Erasmus, cum[1] „in scriptis tuis, inquit, in quibus multa mihi arrident, interdum desidero plus circumscriptionis. Frequenter enim sic leviter capita rerum attingis, ut negligere videaris, quid arguto lectori venire possit in mentem“. Qua in re quamquam Erasmus sine dubio recte judicavit, tamen caveamus, ne in Melanchthone dijudicando injusti esse videamur. Quod in hoc viro summa laude dignum est, admiremur: est autem veri investigatio, cognoscendi studium, amor litterarum; quae vitia occurrunt, ea cognoscamus atque excusemus, quae quidem excusari posse videantur; maximeque meminerimus, haec vitia non solum illorum temporum communia sed etiam in indole ingenii, qua Melanchthon utebatur, posita fuisse. Nam Melanchthonis ingenium, qua erat naturae indole, cum vi speculativa plane indigeret, non ad principia rerum cognoscenda, sed ad res ipsas

---

[1]) C. R. III., 87.

intuendas, non ad nexum rerum systematice percipiendum, sed ad cognitionem empiricam idoneum exstitit.

Ideo primum et praecipue studiis dialecticis sese tradidit, quorum utilitas plane in medio erat posita. Atque iterum et saepius gravissimis verbis contendit, neque in aliis artibus neque in theologia quidquam perficere eos posse, qui dialecticen contemnerent; confusaneam enim esse doctrinam, in qua magnae res non explicarentur diserte, miscerentur ea, quae oporteret sejungi, rursus illa, quae natura ut conjungerentur postularet, distraherentur; talem doctrinam non posse non gignere infinitos errores, infinitam dissipationem, quia in tanta confusione alius aliud intelligeret et dum suum quisque somnium defenderet, certamina exsistere et dissensiones. Et revera serviebat illis temporibus, cum tam fortiter expostularet, ut homines litterati summopere dialecticis studiis sese dederent; nam negligebantur illa studia inauditum tunc in modum. Queritur aliquando Melanchthon: „Profecto periculum est, fore ut posteritas magnas poenas det spretae hoc tempore dialectices. Nam cum sine methodo theologiam et alias artes magnas profitebuntur, meri histriones erunt, nulla perfecta doctrina praediti.“ Perniciosa ars sophistica submoverat dialecticen, quacum „ἄσπονδον bellum“ omnibus bonis viris esse volebat Melanchthon, quoniam qui amarent sophisticen et in ceteris artibus ludere consuevissent, ad eundem modum lusuri essent in doctrina coelesti. Dialectica autem maxime in ecclesia opus esse arbitrabatur[1]), quae methodos recte informaret, quae dextre definiret, juste partiretur, apte connecteret, judicaret et divelleret monstrosas connexiones. Neque vero quemquam methodi artificem fieri posse nisi bene

---

[1]) C. R. XI., 654.

et rite assuefactum philosophia et quidem hoc uno genere philosophiae, quod alienum esset a sophistica, quod veritatem ordine et recta via inquireret et patefaceret. Paulum apostolum postulare, ut sciret verbum Dei *ὀρθοτομεῖν* theologus. „Id quomodo faciet, quaerit Melanchthon, qui nullam sciet apte distinguendi et partiendi rationem? Plato in republica spurios philosophos appellat eos, qui sine dialectica satisfacere se aliis artibus existimabant; quare sicut spuriis non licet hereditatem petere, ita procul ab omnium litterarum tractatione praetorio aliquo edicto submoveri debebant illi, qui ante irrumpunt in alias disciplinas, quam hanc artem perceperint[1]).“

Itaque ipse quoque Melanchthon imprimis in dialecticen incubuit et summam ex illis studiis theologiae adduxit utilitatem. Hic magni momenti est, quod homo ille grammaticus et linguae graecae peritissimus ipsum sincerum Aristotelem repetebat et versiones commentariosque, qui supererant, omittebat. Quae quidem versiones quam falsae et depravatae et commentarii quam corrupti fuerint, cum ex aliis tum e verbis Melanchthonis elucet, quae in declamatione illa de corrigendis adolescentium studiis d. d. 29. Aug. a. MDXVIII. Vitebergae habita expressit[2]): „Usu res acta est, inquit, incideruntque homines quidam, sive libidine ingeniorum sive amore litium ducti, in Aristotelem, eumque mancum et lacerum, et qui alioqui Graecis obscurus, *καὶ τὸ λοξία* similis videtur, Latine sic redditum, ut etiam Sibyllae furentis conjecturas exerceret.“ Itaque exclamat: „Porro vobis adolescentibus vestram gratulor felicitatem, quibus benignitate optimi ac sapientissimi Principis nostri Friderici,

---

[1]) C. R. XI. 161.
[2]) C. R. XI. 17. 22.

ducis Saxoniae, Electoris, contigit longe saluberrimis erudiri: fontes ipsos artium ex optimis autoribus hauritis."

Sed quid enarrem singula Melanchthonis opera dialectica, proinde quasi in epitomen cogenda sint? Sufficit meminisse, libri Melanchthonis Dialecticae, qui vocatur, tres formas esse distinguendas, quarum prima anno MDXX., secunda MDXXVIII, tertia MDXXXXVII prodiit. In illis plerumque totum se applicat et adjungit ad Aristotelem, quem unum ac solum methodi artificem admiratur[1]). Excellit autem praecipue tertia illa forma Dialectices, cui titulus inscribitur: „Erotemata dialectices, continentia fere in integram artem ita scripta ut juventuti utiliter proponi possint": materiae selectione ac plenitudine, definitionum praecisione, divisionum praestantia, quaestionum usu, exemplificationis ubertate, orationis perspicuitate suavitateque. Quem quidem librum qui diligenter et accurate pervolutaverit, facillime intelliget, quantam utique vim studia illa dialectica etiam ad Melanchthonis theologiam habuerint.

An putatis, Melanchthonem, si in hisce rebus non Aristotelem imitatus esset, hoc elegantissimum methodi filum et hanc proprietatem adepturum fuisse, quae collaudamus? Quid? si ingenium studiis dialecticis non tam eximie acuisset, num futurum fuisse arbitramini, ut praestantissimus ille ecclesiae evangelicae magister paterque quasi protestanticae doctrinae sacrae exsisteret, quem admiramur? Quamvis dolendum esse videatur, quod interdum, ut erat opinionibus quibusdam inde a puero in mente intima impressis plane captus atque occupatus, errores quosdam theologicos retineri et conservari voluit, quos

---

[1]) C. R. XI., 349.

si removisset bene esset meritus, tamen non est obliviscendum, eum in his rebus non solum illius memoriae erroribus ductum tenebrisque oppressum, sed etiam persaepe aliorum auctoritate maximeque Lutheri vi ac violentia coactum esse. Quae cum ita sint, nihil habere mihi videor, cur vim adjumentumque philosophiae ad Melanchthonis theologiam ideo minoris habeam, quod eandem multis variisque erroribus non potuisse liberare Melanchthonem concedendum est. Sed videamus nunc, unde praeterea eluceat, philosophiam ad Melanchthonis theologiam momenti fuisse maximi.


Supra commemoravimus in dialectica eum plerumque totum se applicasse et adjunxisse ad Aristotelem. Docet autem Aristoteles uniuscujusque rei notionem congruere cum ipsa re, ita ut omnes rerum notiones, ad dialecticae artem et praecepta bene revocatae, rerum veram naturam, quae qualisque sit, declarent, neque Aristoteles dubitavit, hoc idem axioma etiam ad res supranaturales referendum esse arbitrari. Quibus vestigiis insistens Melanchthon notione substantiae Dei naturam, quae qualisque per se ipsa esset, percipere ac complecti hominum animos putavit. Atque notio substantiae his verbis a Melanchthone definitur[1]): „Substantia est Ens, quod revera proprium esse habet, nec est in alio, ut habens esse a subjecto. Haec definitio communis est Deo et creatis substantiis. Sed de creatis traditur definitio illustrior, quia mens humana per accidentia agnoscit substantiam. Non enim cernimus oculis substantias tectas accidentibus, sed mente ea agnoscimus. Cum videmus aquam manere eandem sive frigida sit sive calida, ratiocinamur, aliud quiddam esse formas illas discedentes et

---

[1]) C. R. XIII., 528.

aliud quod eas sustinet. Est ergo satis accommodata definitio: „Substantia est Ens, quod habet proprium esse et sustinet accidentia“. Unde evenit, ut „substantia“, id est quod manet in rerum vicissitudine, statim fiat notio quaedam ontologica. Hoc modo axioma dialecticum, ab Aristotele repetitum, Melanchthonem eo adduxit, ut theologis viam patefaceret colligendi e Dei qualitatibus ejus *οὐσίαν*.

Revera Melanchthon hanc viam ingressus est, nam postquam in Dialectica hunc „substantiarum ordinem“ enarravit:



postquam, inquam, hunc substantiarum ordinem enarravit, quaerenti, quid Deus sit, respondet: „Deus est essentia incor-

[1]) C. R. XIIII., 530. 531.

porea, intelligens, immensae potentiae, sapientiae et bonitatis, verax, benefica, justa, casta, liberrima, causa universae naturae et ordinis ac boni in natura, requirens in genere humano ordinem actionum congruentem ad ordinem in sua mente, et puniens hujus ordinis violationem. Hanc descriptionem mentes humanae, etiam extra Ecclesiam, et sine singulari revelatione, discunt e demonstrationibus, et membra praecipua sunt in hac tabella. Et quamquam vera descriptio est, tamen nondum est integra. Necesse est enim de Deo sentire, sicut se illustribus testimoniis patefacit. Ideo in Ecclesia ad priora membra diserte adduntur personarum nomina: Deus est essentia incorporea, intelligens, immensae potentiae, sapientiae et bonitatis, verax, benefica, justa, casta, liberrima, quae est pater aeternus, qui genuit filium etc. Sic in Ecclesia necesse est addi quaedam descriptioni Dei, quam mentes humanae sua luce cernunt, quia Deum necesse est agnosci et invocari sicut se patefacit". Tali modo naturalem Dei cognitionem ducit Melanchthon e categoriis dialecticis.

Qua in re Melanchthonem a se ipsum dissentire quis est, qui non viderit! Nam Melanchthon saepissime magna voce contendit, ad res humanas divinasque cognoscendas patefactionem divinam necessariam esse. Quod si verum est, qua ratione fieri potest, ut eaedem res, ad quas cognoscendas revelatione divina nobis opus est, altera via, scilicet via cognitionis naturalis, perspiciantur! Sin autem non solum Deum esse, sed etiam qualis Deus sit, ingenium humanum per suas ipsius vires ratione dialectica potest intelligere, qua ratione fieri potest, ut ad idem cognoscendum revelatione opus sit! His maximis difficultatibus atque angustiis Melanchthon implicatus est, quod cum axiomate illo Aristotelico, in notionibus vim

esse ontologicam, etiamsi ad res supranaturales referantur, realitatem revelationis divinae conjungere conatus est. Quae cum ita sint, non mirandum videtur, quod Melanchthoni non contigit, ut has difficultates dissolveret. Nam quae de hac quaestione a Melanchthone proposita videmus, difficultatem adeo non dissolvunt, ut eandem fugere conentur cum concedant. Affirmat enim[1]), quaedam voce Dei tradita esse, quae etiam natura nota sint, sed Deum vocem suam accedere voluisse, ut ostenderet, illas ipsas notitias naturales a semet ipso mentibus nostris esse inditas. Sic rationem deprehendere terram immotam stare et solem moveri, sed cum idem divinitus traditum audiamus nos firmius assentiri. Quibus quidem explicationibus philosophiam vertit in libidinem. Discrepantiam, quam dolemus, facillime eum dissolvere potuisse manifestum est!

Quae cum ita sint, Melanchthonis studia dialectica magnam ad ejus theologiam vim habuisse solis luce mihi clarius videtur. Hoc idem comprobabitur, si ad librum Melanchthonis dogmaticum animum adverteris. Nemo enim ignorat, eundem Melanchthonem, cum anno MDXXI „locos communes“, qui vocantur, emiserit, omnia illa dogmata metaphysica omisisse, quae disserunt de Deo, de trinitate, de mysterio incarnationis etc. Quod cur fecerit ipse hisce verbis explanat: „Mysteria divinitatis rectius adoraverimus quam vestigaverimus. Quid assecuti sunt jam tot seculis scholastici theologistae cum in his locis suis (de div. trinitate, de mysterio incarnationis etc.) versarentur?“ Ex iis, quae supra diximus, plane apparet, quare eo deductus sit, ut cum iterum iterumque „locos communes“ illos ederet, illa dogmata metaphysica, prima editione praetermissa,

---

[1]) C. R. XIII., 650. 651.

editionibus sequentibus expressis verbis pertractaret. Neque enim dubitari potest, quin Melanchthon studiis dialecticis eo adductus sit.

Sed haec hactenus, satis enim demonstrasse mihi videor, philosophiam dialecticam ad Melanchthonis theologiam maximi momenti fuisse; transeamus nunc ad alteram partem atque **de physiologia aliquid adjiciamus et perscrutemur, quatenus ea ad ejus theologiam pertinuerit.**

Ut in omni genere scientiae versabatur Melanchthon, ita etiam assiduum studium conferebat ad cognoscendam doctrinam physicam, quam saepius nomine philosophiae laudavit.

Porro non tantum propter methodum opus esse philosophia existimabat, neque ad judicandum et ad recte et dilucide explicandas res intricatas et obscuras satis habebat, si quis nosset grammatices et dialectices praecepta, sed multiplici doctrina opus esse arbitrabatur ac praecipue ex Physicis multa esse assumenda magnoque instrumento destitutum esse theologum, qui nesciret illas eruditissimas disputationes de motibus siderum, de anima, de sensibus etc.

At hic primum minime sileatur, quanto odio oderit „Germaniae magister“ falsum istud physices studium, cui nonnulli ejus memoriae litterati incumbebant. Gravissimis his verbis in libello illo Didymi Faventini nomine edito exclamat[1]: „In tota *ἀκροάσει* physica quid audias aliud, quam verborum portenta, hyle, materia, forma, idea, privatio, infinitum et hoc genus innumera, quae loquacibus hominibus garriendi materiem subministrant.“ Eo magis autem aequales ad castum et purum illius doctrinae studium cohortatur et iniquissime fert, quod

---

[1]) C. R. I., 302.

non tantum illitterati aspernantur illam artem sed vel maxime oderunt eam ii, qui doctrinae fama ac titulis ad populum se venditarint, ita ut jaceant maximae illae et pulcherrimae artes spretae atque contemptae. Mente incitatus declamatione quadam de laudibus physices in magistrorum promotione aliquando habita enarrat, sapientissimos viros multa collegisse, quare illarum tantarum rerum cognitio maxime hominibus expetenda esset, atque ipsa Vergilii verba ascribit, qui honorificentissimo praeconio hanc doctrinam ornavit: „Felix qui potuit rerum cognoscere causas". Itaque semet ipsum accusat, quod non diligentius hanc doctrinam coluerit[1]): „Et meam, inquit, et omnium ignaviam deploro, omnes enim sumus negligentiores in aspicienda natura et hoc theatro Dei contemplando quam oportebat; cum quidem et Deus ad hoc studium nos invitet et nihil hac cogitatione dulcius sit et valetudini ac vitae haec diligentia plurimum profutura esset. Quamquam autem nemo satis intentus spectator esse naturae potest, tamen omnia bona ingenia adhortanda sunt ad hanc considerationem dignissimam homine: imo cum et Deus eam praecipiat, ipsum quoque naturae conditorem oro, ut multorum flectat mentes ad hoc studium et exsuscitet eas, ut in hac consideratione ipsum quoque agnoscant, venerentur, celebrent." „Nam vult Deus aspici naturam, in quam impressit vestigia quaedam, ut agnoscatur. Nec tantum artes dedit, ut vitae adminicula sint, sed multo magis, ut nos admoneant de ordinis hujus auctore, qui in numeris, in motu coelesti, in figuris etc. conspicitur. Vera est enim illa dulcissima Platonis vox, gratam Dei famam in artibus sparsam esse."

---

[1]) C. R. XI., 827.

Videmus ex omnibus illis locis allatis, quantopere Melanchthon cognitionem naturae ad Deum ipsum referendam esse putaverit; qua in re manifestum est id, quod non minus ex aliis locis apparet, Melanchthonem litterarum studia non propter se ipsa, sed imprimis cum theologia conjuncta tractanda arbitratum esse.

Dolendum est, quod Melanchthon studium collocans in rebus naturalibus scrutandis explicandisque minime se removit a nonnullis illius memoriae opinionum commentis neque ad liberiores sententias penetravit. Quibus erroribus adeo deceptus erat, ut exempli gratia in astrologiae quoque somnia induceretur et ut Div. Copernici praecepta astronomica malas et impias opiniones vocaret atque magistratus ad ea supprimenda excitaret[1]).

Sed quoquo modo haec res se habet, certe Melanchthonis physica bono consilio scripta est maturitatemque suam mihi habere videtur. Hic praecipue contemplanda sunt „initia doctrinae physicae", quae vocantur, in academia Vitebergensi ab eo dictata. Circumscribit Melanchthon in illo libello physicen his verbis[2]): „Physica doctrina est, quae seriem, qualitates et motus omnium corporum et specierum in natura, et causas generationum et corruptionum et aliorum motuum in elementis et aliis corporibus, quae ex elementorum commixtione oriantur, inquirit et patefacit, quantum in hac caligine humanae mentis conceditur". Atque istis hominibus, qui contra omnia disserunt, demonstrare conatur, esse aliquam certam et firmam doctrinam physicen, videlicet de multis rebus in natura utilem ac necessariam vitae hominum, etiamsi in hac imbecillitate humanae

---

[1]) C. R. XIII., 216.
[2]) C. R. XIII., 179.

mentis restent alia multa, quae non sint pervestigata.[1]) Physices certitudinem autem conditam esse vult in principiis a pr., in universali experientia, in intellectus consequentiis. Atque has normas ideo non fallere dicit, quia manifestum sit, dato opposito, sequi naturae destructionem. Affert hoc exemplum: ignis calefacit. Quam si quis normam negabit atque in ignem sese conjiciet, sequetur naturae destructio. Huc autem addit: „Nos confirmati testimoniis coelestis doctrinae constantius de certitudine pronuntiare possumus"; quoniam semper fere et ubique patefactiones divinas ad certe cognoscendum necessarias habet.

Quaerenti, quid sit physices subjectum, respondet[2]): „In physicis subjectum complexum esse hoc, corpus naturale habet suas proprietates, quas inquiri necesse est, motum, locum, tempus, alternationes."

Quod autem in hac doctrina attinet ad methodum, provocat ad Aristotelem, qui duas doceat esse vias, quarum altera procedat a causis ad effectus, seu ab iis, quae natura priora sint, ad consequentia, altera ab effectibus et signis ad causas seu ab iis, quae natura posteriora sint, ad praecedentia. Melanchthon interdum illa via, quae ducit a priore, utitur, saepius autem praecedente a posteriore[3]).

Atque primum quidem de Deo agit, qui sit prima causa efficiens, atque dissentit in hac re ab Aristotele, quem initio de materia elementorum dixisse notum est. Deinde sequuntur quaestiones cosmologicae, quid sit mundus, finitusne sit an infinitus etc. etc. Tum de principiis mundi, id est de partibus constituentibus aut inclinantibus ad mutationem, de materia,

[1]) C. R. XIII., 185. 186.
[2]) C. R. XIII., 193.
[3]) C. R. XIII., 194 sequ.

de forma, de privatione, de natura, de arte, de diversis causarum generibus, de motu, de tempore, de loco nonnulla dicit. Denique de elementis et eorum qualitatibus et alternationum et mixtionum causis disputat et hisce verbis dicendi finem facit:[1] „Cum mens humana hunc mirandum naturae ordinem considerat, videlicet ipsas motuum leges et certas plantarum et animantium species et modos generationis et periodos durationis, necesse est ratiocinari, aliam esse priorem et intelligentem causam, videlicet, Deum conditorem, cujus consilio totus hic ordo et institutus est et gubernatur et conservatur, sicut doctrina de Deo in ecclesia clarius docet."

Quibus ex verbis plane elucet, comprobare Melanchthonem, notitia quadam physica Deum agnosci posse. Quam quidem notitiam physicam e notionibus illis quasi naturalibus, quae de Deo, de vero ac bono etc. in animis nostris insitae sunt, acquirere et rationali mundi contemplatione explicare studet. Tali modo revera theologiae naturalis elementa inveniuntur apud Melanchthonem neque tamen ad artem rediguntur. Arbitratur in ratione naturali notiones quasdam principales de veritate, de Deo, de bono et malo, de immortalitate jamjam exstare[2]. Sicut oculis lumen quoddam divinitus inditum sit, ita mentibus hominum inditas esse quasdam notitias seu lumen, quo per sese agnoscant quaedam et judicent. Fulgere in mente humana notitiam, quae affirmet non solum esse unum Deum, opificem mundi et ordinis in tota natura, sed etiam doceat, qualis sit sapiens, beneficus, justus etc. Concedit veteres philosophos hoc modo certam et firmam Dei et immortalitatis et aliarum rerum

---

[1]) C. R. XIII., 411.
[2]) C. R. XXI., 401.

notitiam acquisisse[1]), nam si homo meliorem naturam suam sequatur, eum et initium et finem sibi Deum proponere. Atqui repugnare exempli gratia rationi, hominibus non data immortalitate animae finem proponi, quem neque singuli neque universorum genus assequi unquam possint. Congruere ergo cum ratione eam spem, quam pietas certissima fiducia amplectatur. Perfectionem autem in plenissima conjunctione cum Deo quaerendam Melanchthon ut voluntati ita intellectui hominis proponit.

Plane apparet, Melanchthonem tali modo infixum esse in dualismo quodam parum idoneo, cum duas mundi contemplationes extrinsecus copulet neque conjungat intrinsecus, id quod supra accuratius exposuimus. Omnino enim philosophiam, veritatis moderatam investigatricem, divinae veritati patefactae et ideo praecipuae opinionum et vitae rectrici veluti deteriora potioribus submittendam esse judicat. Iterum atque iterum admonet, ne quis ignoret aliud doctrinae genus esse philosophiam, aliud theologiam, nec ea commisceri vult. Itaque factum est, ut elementa illa theologiae naturalis, quae apud eum invenimus, minime ad artem redacta sint. Attamen non discrimen rerum rationi convenientium et rerum, quae ultra rationem progrediuntur, sed, veluti postea apud Leibnitium, discrimen inter necessaria et non necessaria seu inter eas res, quae necessitate quadam absoluta necessariae sunt, et eas, quae ex historia depromptae et usu observatae sunt, philosophiam segregat a theologia.

Sane quidem hoc quoque posito magnam physica habet vim ad Melanchthonis theologiam atque quod minime quidem voluit revera demonstravit, Dei spiritum semper et ubique

---

[1]) C. R. XXI., 370.

propius adduxisse ad veritatem homines ita ut paulatim deteratur dissimilitudo inter intelligentiam humanam et Dei patefactionem, quae vocatur.

Duos autem locos jam accuratius cognoscamus exquiramusque, quid doceat de mundi origine et quomodo teleologia usus fuerit, quoniam illi ipsi loci in hac disputatione gravissimi mihi esse videntur.

Ac primum quidem mundi originem qualis et quando fuerit, a ratione humana percipi non posse Melanchthon arbitratur. Nam si quis e ratione quaesiverit, utrum mundus certo quodam tempore exstiterit an inde ab infinita aeternitate fuerit, rationem de hac quaestione nihil firmi certique proferre posse Melanchthoni est persuasum. Itaque rationem inter metas continendam esse, quas Deus nobis circumdederit, et id eo magis, quod alia via nobis patefacta sit, qua si insistamus, quid de hac quaestione judicandum sit, nulla ratione posse dubitari. Neque enim quemquam esse peritum revelationis divinae, qui, quid Deus de hac re doceri velit, non intelligat. A Deo enim ipso nos habere patefactum, mundum certo quodam tempore esse conditum ac constitutum.

Hic est portus, ad quem rationi confugiendum esse Melanchthon putat, cum per se ipsa non satis multas vires habeat ad has gravissimas quaestiones ad suum finem producendas; hoc est fundamentum, in quo universa hujus viri philosophia posita videtur. Quaestiones ratione philosophica conatur pertractare, sed vix conatus est cum desistat de conatu ac de rationis potestate desperans in revelatione acquiescit.

Sed ne quis forte arbitretur, Melanchthonem se philosophum esse oblivisci, quamquam revelationem divinam fontem certitudinis sibi videtur invenisse, tamen argumenta rationalia adjungit,

quibus sententiam eorum, qui mundum putabant aeternum esse, refellere conatur. Praecipue axioma: ex nihilo nil fit: intelligit de generationibus naturalibus, quales nunc sunt in natura sic ordinata; minime autem valere illud axioma, si de prima mundi origine disputetur, cum praeter substantiam infinitam, in qua omnia finita condita sint, minime altera substantia infinita exsistere possit; tantum igitur substantiam infinitam naturam finitam ex nihilo creasse. Rectius dixisset Melanchthon, naturam finitam non e vacuo nihilo, sed e plenitudine infinitae substantiae universalis evasisse.

Alterum argumentum, quo mundum aeternum esse demonstratur, hoc est: causa infinita nullo tempore otiosa, sed semper tantum absolute actualis cogitari potest. Quod quidem argumentum refellit Melanchthon tum ostendens mundum libertate conditum esse nec effusum aliqua necessitate, quam aut extra Deum aut intra Deum necessariam esse putemus, tum contendens, Deum vel ante mundum conditum actualitatem suam manifestasse in relationibus illis interioribus, quae exstiterint inter patrem et filium et spiritum sanctum. Qua in re ne a proposito aberrem, quid de hac doctrina non tam philosophica quam theologica, quae pertinet ad trinitatem ontologicam, afferri possit, praetermittere mihi liceat.

Hoc tantum in medium proferendum esse arbitror, Melanchthonem hac sententia exposita mundi originem non ab ulla necessitate, in qua omnia posita esse Stoici volebant, sed a libertate voluntatis divinae repetendam esse arbitrari. Quae cum ita sint, Melanchthon sibi ipse videtur consentire, cum, a Stoicis non minus in anthropologia quam in cosmologia discedens, voluntati humanae si non eandem atque voluntati divinae, at certe similem libertatem vindicat et hac ratione Stoicorum

absolutam necessitatem contingentia aliqua non solum labefactat, sed perfringit et evertit[1]). Sed quid de libertate voluntatis humanae docuerit. alio loco accuratius exponamus; nunc videamus quas sententias de naturae statu atque conditione Melanchthon e doctrina de libertate divina expresserit. Quid Stoici de naturae statu atque conditione docuerint, in memoriam revocetur. Docebant autem Stoici, cum omnia necessitate absoluta fieri putarent, Dei efficaciam plane esse alligatam ad causas, quas vocabant secundas, ita ut nihil unquam perficere aut vellet aut posset, quod non in hac necessitate absoluta esset positum. Aliter de hac re Melanchthon judicabat. Qui, quamquam res naturae ordine quodam legibusque certis non negabat temperari, tamen, cum has ipsas leges non necessitate quadam fatalistica, sed arbitrio voluntatis divinae esse positas putaret, et principaliter fieri posse et revera saepius factum esse voluit, ut ad eventus quosdam supernaturales persequendos hae leges naturales per libertatem divinae voluntatis interruptae esse viderentur. „Multi, ait, eventus sunt, quos ad providentiam divinam referri necesse est, qui non eo ordine fiunt, ut causae secundae“ [2]).

Hac ratione Melanchthonis physica a Stoicis differebat. Neque vero magis cum Epicureis congruere videtur. Cum hi Deum deistarum modo a mundo longe disjunctum cogitarent atque omnes res aliquo casu oriri arbitrarentur et teleologiam, quae vocatur, negarent, Melanchthon scilicet non granditate illa ut Aristoteles, qui teleologia immanente utebatur, sed e statu anthropocentrico, ut ita dicam, judicabat universam rerum naturam ad usum humanum esse referendum. Quam ad rem

[1]) C. R. XIII., 205. 206.
[2]) C. R. XIII., 322.

ipsius Melanchthonis verba afferre mihi liceat, quae in articulo de providentia scripto videmus[1]: „Immo si diligentius aspiceremus coelum, magis judicaremus utilitati rerum nascentium prospectum esse, quia, cum opus est imbribus, Hyades, Plejades, Orion oriuntur aut occidunt. Econtra cum opus est siccitate, Sol accedit ad Leonem et Sirium, qui augent siccitatem et aestum convenientem messi. Cum autem manifestum sit haec ordinata esse propter hominum utilitatem, fateamur vitam hominum Deo curae esse“.

Qua quidem a providentia si quae res discrepant, contendit, regulam non everti paucis et raris exemplis, et appellat ad amorem Dei, quem vel Xenophon vocarit *φιλόζωον*, amantem animantium, et rejicit ad humanae mentis verecundiam, quae ex objectivo quodam ordine in ipso Deo condito evaserit.

Sed quid plura? ex iis ipsis, quae allata sunt, satis videtur elucere, Melanchthonem in physica doctrina exponenda semper respicere ad theologiam.

Idem apparet ex altero quoque Melanchthonis opere physico, quod hoc loco commemorari necesse est, ex illius commentario de anima scripto.

Quo quidem in libello[2]) Melanchthon totam anthropologiam sive psychologiam adumbravit. Pauca praefatus de anima, in qua ipsius Dei imaginem inspicit, copiosius loquitur de doctrinae psychologicae difficultate, utilitate, jucunditate. Deinde disjungit animam in brutis atque animam in hominibus, non tantum Platonis divisionem attingens, qui dividit animam in *ψυχή ἐπιθυμητική, θυμική, γνωμική* seu *λογιστική*, sed etiam Aristotelis, qui eam dividit in *ψυχή θρεπτική, αἰσθητική, νοῦς*.

[1]) C. R. XIII., 204.

[2]) C. R. XIII., 1 sequ.

Tum ipso Aristotele auctore amimam circumscribit: „anima est endelechia prima corporis physici, organici potentia vitam habentis".

Postquam quaestiones illas commemoravit[1]), rationales animae singulorum hominum de novo creentur a Deo et corporibus infundantur, an ex traduce oriantur, abrumpit illam disputationem lectores admonens, ut discernant ea, quae utcunque mentis humanae acie intelligi possint ab aliis, quae pervestigari non possint, certosque sibi fines terminosque constituit, cum dicit: „Simus hac sapientia contenti, quod vita, sensus, ratiocinatio et electio ostendunt, esse in nobis animas et esse eis insitas notitias et alias dotes, quae testantur et esse Deum et animas ab eo conditas esse. Adjungamus et testimonia divinitus tradita, quae affirmant, Deum semper vitae datorem et conservatorem esse, sicut antea dictum est: in ipso vivimus, movemur et sumus. Et agnoscamus eum fontem et custodem nostrae vitae esse. Deinde effectus animae et organa subjecta oculis aspiciamus et videamus, quarum partium qui sint effectus et motus, quae partes in hac imbecillitate quales habeant actiones, quae quomodo regi possint. Hanc sapientiam vitae et moribus utilem quaeramus."

Minime hic mihi proposui, ut haec omnia amplius exponam, satis sit ostendere, Melanchthonem[2]) tres gradus animae discernere: in plantis animam vegetativam, in brutis animam vegetativam et sentientem, in hominibus animam vegetativam, sentientem, rationalem, quarum quidem principalis est potentia rationalis, seu mens, de qua dicit: „Est propia homini potentia

[1]) C. R. XIII., 17 sequ.
[2]) C. R. XIII., 19.

rationalis ut nominant, quae est summa vis humanae animae.“ Quam quidem potentiam rationalem paucis perscribam.

Quae Melanchthon de illa vi ratiocinatur, ex ejus theologia naturali manant. Neque vero quisquam ignorabit, id quod vel ex iis, quae supra commemoravimus, elucet, Melanchthonem universam theologiam naturalem condidisse in argumento physico-teleologico, quod vocari possit. Hoc argumentum physico-teleologicum, a rerum natura repetitum, Melanchthon conatur confirmare alio novoque argumento, quod expromitur e natura animae humanae[1]. Cum enim in animis hominum infixum impressumque sit, ut discernamus quid honestum quidque turpe sit, id quod non litteris accepimus, sed e natura ipsa hausimus, hac ratione in anima humana notionem Dei tanquam judicis aeterni atque incorrupti necessario ac naturaliter inhaerere Melanchthon judicat. Neque enim cogitari posse, hanc potestatem discernendi honestum atque turpe unumque alterumve eligendi casu quodam esse ortam; itaque in hac potestate certum esse argumentum, non solum esse Deum, a quo haec indoles ingenii humani constituta sit, sed etiam animos hominum cognatione quadam atque vinculo communi cum Deo ipso artissime conjunctos esse, ita ut anima humana Dei speculum habenda sit, in qua Dei revelatio occurrat. Qua quidem in potentia animae humanae omnium artium fontes inveniri atque hac potentia praecipue homines a bestiis discernendos esse. Nominat Melanchthon eam potentiam inorganicam.[2] „Etsi enim, inquit, in hac vita sensus interiores ei serviunt et objecta offerunt, tamen cum anima discedens a corpore suam quandam habeat actionem et suos motus, dicitur inorganica.“ Unde efficitur,

---

[1]) C. R. XIII., 137.
[2]) C. R. XIII., 139.

vitam perpetuam post hanc mortalem vitam esse secuturam. Sed Melanchthon, quamquam animos esse immortales luce rationis in naturam animae humanae intuentis satis comprobare vult, tamen ab hac cognitione atque certitudine, ut ita dicam, naturali spem illam resuscitationis corporum, qua Christiani omnium temporum ducti atque inflammati sint, rectissime discernit. Hanc spem christianam non ratione cognoscendam esse, ita ut antiquorum temporum philosophi ad eandem non pervenerint; revelatione divina opus esse ad hanc cognitionem supranaturalem consequendam atque confirmandam. Sed omitto argumenta e scriptura sacra repetita, quibus demonstrare conatur re vera mortuos aliquos jam resuscitatos esse; omitto quae dicit de spectris passim vagantibus, quae a semet ipso et ab aliis multis hominibus fide dignis visa sint; omitto alia permira et infirma, quae de hoc loco a Melanchthone video allata. Haec aliaque ejusdem generis praetermitto, quippe quae cum quaestionibus non philosophicis sed theologicis cohaereant: sed ad propositum redire mihi videor, cum quibus argumentis comprobaverit Melanchthon animos esse immortales exponere conabor. E quibus argumentis, quae omnia a veteribus repetita sunt, primum hoc syllogismo constituitur:

[1]) Natura non orta ab elementis non corrumpitur.

Anima non est orta ab elementis.

Non igitur extinguitur anima propter corporis interitum.

Quem syllogismum verum esse ac valere ad conclusionem comprobandam, inde vult intelligi, quod non fieri possit, ut in natura elementari oriantur notitiae aut universales aut de rebus non corporeis, de Deo, de numeris, de discrimine

---

[1]) C. R. XIII., 175 sequ.

honestorum et turpium. Has autem notitias teneri ab animis hominum, etiamsi litteris doctrinaque non sint imbuti. Ergo effici, animas non ab elementis esse ortas, ac, cum nihil nisi elementis orta interire possint, eas nunquam interire.

Secundum argumentum, quod a veteribus repetiit Melanchthon, hoc est: „Videmus in hac vita multos honestos homines injuste a latronibus et tyrannis interfici et saepe in hac vita latrones et tyrannos non puniri. Cum igitur sit providentia, necesse est, sequi aliam vitam, in qua bene sit bonis et mali suppliciis afficiantur. Imposibile est enim optimam generis humani partem tantum ad exitium esse conditam.“ Quod quidem argumentum permultis exemplis etiam in ecclesia consideratis illustrius ac firmius facere studet.

Tertium argumentum, quod affert, a magnis cruciatibus conscientiae in sceleratis sumptum est: Ingentem dolorem sequi post scelera etiam in audacissimis istis hominibus, qui eum excutere omni ope connitantur. Vi quadam arcana etiam durissimos atrocissimosque maleficos vinci, quae puniat sceleratos. Unde recte concludi, minime deesse numen, quod discernat justos et injustos. Quoniam autem profecto multi scelerati nondum in hac vita puniantur, post hanc vitam sine dubio poenas esse secuturas.

Qua quidem de materia cum vel veteres philosophos tam diserte et aperte disputantes legisset, Melanchthoni planissimum fuit et alias cognitiones hominibus innatas insitasque esse et notionem illam immortalitatis.

Neque tamen hoc in loco naturali illa cognitione magis quam in aliis contentus est: sed ad philosophicas illas normas certitudinis, ad experientiam universalem, ad notitiam principiorum, ad intellectus ordines in syllogismo quartam certitudinis

normam adjicit patefactionem divinam in libris propheticis et apostolicis exstantem, quam supra saepius commemoravimus. Nimirum concedit facilius et firmius assentiri mentem humanam iis, quae luce naturali cernat, sed postulat, ut simili constantia creaturae rationales assentiantur sententiis a Deo patefactis. Quibus quidem omnibus certitudinis normis conjunctis fit, ut sine ulla dubitatione asseverare possit, quomodo bis quattuor sit octo, ita statuendum esse, Deum mortuos excitaturum.

Sed, si ultimam perquirimus causam, cur Melanchthon iterum patefactionem divinam contenderit necessariam esse ad certe firmeque cognoscendum, respondebimus, hanc opinionem necessitate quadam aeterna sequi ex iis, quae judicarit Melanchthon de transgressione legis paradisiacae, qua homines protoplasti, cum interdictum divinum, a diabolo permoti atque illecebris cupidinis capti et libertate voluntatis abusi, violarint, cognoscendi vim ac potestatem omnesque alias animae humanae vires depravarint. Docet duas esse potentias in anima humana: intellectum et voluntatem seu potentiam cognoscentem et potentiam appetentem, quae principio suis libratae fuerint ponderibus, ut ita dicam, sed postea depravatione humanae naturae aliquam inaequabilitatem acceperint. Ac primum ostendit, in potentia cognoscente notitiam legis divinae una nobiscum nasci sicut numerorum intellectum[1]), at in voluntatis potentia deesse vim toti legi satisfaciendi, quin etiam inter se repugnare illas potentias, quoniam voluntas et cor ruant in tetra scelera contra judicium in potentia cognoscente, ut recte dixerit Medea: Video meliora proboque, deteriora sequor. Deinde

[1]) C. R. XIII., 140. 141.

autem vel potentiam intellectus depravatione hominum aliquam jacturam fecisse contendit, quod diaboli mentibus inserant furores et errores atque caligo quaedam in parte cognoscente judicium obruat, ut Dei auxilio opus sit, quo caveatur, ne omnino in nobis lux naturae obscuretur. Ipsis Melanchthonis verbis hic uti liceat[1]): „Fuit haec lux, inquit, ante naturae humanae depravationem illustrior, postea caligo secuta est, quare Deum et spirituales naturas et corporum substantiam minus intelligimus sed utcunque eas a posteriori ratiocinando agnoscimus obscure et tenuiter.“

Quae cum ita esse judicaret, patefactionem divinam omnino necessario ei expetendam fuisse, quis est, quin intelligat.

Sed satis de hoc! Aliquando in tertia hujus disputationis parte, ad quam transire volumus, nobis recurrendum erit ad doctrinam physicam. Rectissime enim dicit Melanchthon: „Ut claudus pilam tenet, ita philosophiam moralem tractat is, quem physica destituunt“. Traducamus ergo orationem **ad philosophiam moralem ostendamusque, quo modo Melanchthon tractaverit praecepta de moribus tradita a veteribus et quantam eadem vim habuerint ad ethicam theologicam et ad omnes Melanchthonis opiniones religiosas:**

Eandem hic quoque viam persequi mihi liceat, quam antea persecutus sum, atque primum quanti aestimarit Melanchthon doctrinam, de qua agitur, exponam ipsisque illius verbis illustrabo. Sed unde initium, unde dicendi finem faciam? Permulti sunt loci, quibus Melanchthon celebrat ethicam philosophicam. Maxima et gravissima illa scripta hic omittens, e quibus postea hauriam, ad libellos illos nos delego, qui inve-

---

[1]) C. R. XIII., 143.

niuntur apud Melanchthonem, exempli gratia ad omnes declamationes de legibus habitas (C. R. XI., 66 sequ. etc.), ad praefationem in officia Ciceronis (C. R. XI., 86 sequ. et 257 sequ.), ad orationes de dignitate legum (C. R. XI., 357 sequ. 630 sequ. 908 sequ.), et de legum fontibus et causis (C. R. XI., 916 sequ.), ad multos alios libellos (C. R. XII., 146 sequ. etc.). His aliisque scriptis honorificentissime collaudat Melanchthon ethicam philosophicam et quanti momenti sit ad theologiam praeclarissimis verbis exponit, cum alia, tum haec contendens[1]: „Non opinor quemquam adeo insulsum esse, ut non animadvertat, eos, qui instructi sint philosophia morali, multas partes doctrinae christianae felicius tractare posse. Nam cum multa sint similia, de legibus deque politicis moribus, contractibus, et multis vitae officiis, adjuvamur non solum ordine ac methodo in philosophia sed etiam rebus ipsis diligenter perceptis et si qua sunt dissimilia, multum lucis affert collatio“. Alio loco de eadem re hisce verbis utitur: [2]„De ethicis scitis ipsi veram ethicen partem esse legis divinae. Cumque philosophi causas legum in natura quaerunt, quid agunt aliud quam ut vestigia Dei impressa humanae naturae monstrent, quod ad disciplinam et ad confirmandas honestas opiniones in animis plurimum conducit?“ Neque vero locus invenitur, unde praeclarius eluceat, quanti philosophiam moralem a veteribus verae religionis ignaris traditam aestimaverit, quam quem legimus in declamatione aliqua de legum dignitate aliquando habita[3]): „Ut medicus seu architectus non sumunt praecepta suarum artium ex scripturis, ita nec legislatorem de rebus politicis opus est praeter generalem regulam

---

[1]) C. R. XI., 281.
[2]) C. R. XI., 657.
[3]) C. R. XI., 358. 359.

sumere ipsam artem ex scriptura. Nam evangelium cum proprie concionetur de aeterna et spirituali vita, non mutat, non labefacit oeconomiam aut politicam vitam, quae collata ad interiores cordis motus persimilis est domui. Ut enim domus est singulari arte exstructa, apte contignatis omnibus partibus, ac tegit hospitem adversus tempestatum injurias, interea tamen hospitis animus non intra hos parietes coercetur, sed tacitus de Dei voluntate et aeternitate cogitans, procul tanquam in coelum sublevat; considerat enim omnium aetatum mutationes, religionum ortus et discrimina etc., denique et de hac ipsa domo cogitans, miratur opificem et agnoscit etiam corporali vitae praesidia divinitus donata esse: ita universa politia ceu domus quaedam est, mira arte divinitus fabricata, legibus magistratuum, ordine, contractibus, judiciis, disciplina, praesidiis armata poenis etc. His septi ac vallati muris, tamen Deo agnoscere possumus ac statuere, hanc ipsam politiam, qua haec vita defenditur, esse velut domum divinitus nobis conditam; nec interest vitae spirituali ac aeternae utrum haec domus, id est politia, sit a Moise, an ab aliis legum latoribus, ut ita dicam, fabricata, modo ut sit consentanea juri naturae." Tali modo Romanas potissimum leges dicit dignissimas fuisse, quae importarentur, quoniam re vera notitiis illis naturalibus, quae sint radii sapientiae divinae in decalogo breviter comprehensi, bona consequentia sint ducta. Romanum jus antecellere legibus aliarum gentium et vere quandam philosophiam esse, quod quidem apparere collatis aliarum gentium Judaeorum, Spartanorum, Atheniensium legibus. Minime enim confundendam esse in vetere testamento legem moralem cum lege civili. Politiam Moisis non magis ad nos pertinere quam politiam Solonis. Legem judaicam civilem non nisi illi nationi conditam et attemperatam esse neque posse

convenire pluribus gentibus. Et quosdam Judaeorum mores, etsi habuerint aliquid vitii, Judaeis pro tempore permissos esse. Quare non esse absurdum aut contumeliosum et impium, si quis dicat, reperiri posse aliqua instituta Romanae reipublicae meliora in genere quam Judaica.

Dolemus quod Melanchthon hoc quoque in loco substitit quasi in medio itinere atque falsa patefactionis divinae notione impeditus est, ne jam clarius illam rem perspiceret, liberalius judicaret, longius progrederetur. Profecto enim in ipsa scriptura sacra notiones morales paulatim excoluntur et gradatim in libris, quorum alius post alium est scriptus, ad altitudinem suam ducuntur. Quod si Melanchthon intellexisset, exempli gratia omnino non lubricum istud atque dubium arbitrium perscripsisset, quo Philippo, Hessorum principi, duas uxores in matrimonium ducere permittebat, quia vetere testamento auctore veteres quoque Judaici, patriarchae, alii viri pii plures uxores duxissent. At hanc cogitationem forte incidentem minime longius persequar, pergamus ad ea, quae disserere inchoavimus, Melanchthonem permultum tribuisse philosophiae ethicae ab ethnicis traditae.

Nec negligatur in hoc loco quam affabre egregieque cognationem illam, qua varia litterarum genera inter se conjuncta videantur, exposuerit tum omnes philosophiae partes inter se aptas colligatasque tum ethicam cum aliis philosophiae partibus conjunctam et iis subjectam esse contendens. Liceat afferre hoc exemplum: Tribuit Melanchthon scientiae physicae investigandas causas et efficientes et finales. Quare quodam sensu oriri ex illa doctrinam moralem perhibet. Sicut enim in aliis rebus et animantibus necessariò quaerendum sit de fine seu de usu seu ad quem usum sint res conditae, ita de humano

genere maxime quaerendum esse, ad quem usum et finem haec praestans natura condita sit. Hanc quaestionem de fine esse initium philosophiae moralis. Eodem modo leges tum physicas tum morales et politicas saepius quasi sibi invicem respondentes et, ut ita dicam, parallelas repraesentat[1]). Ut hic pulcherrimus, inquit, ordo positus corporum, coeli, aëris, terrae circumfusae oceano, et ut ordo motuum coelestium, qui vices temporum, dies et noctes, aestates et hiemes efficit, sine ulla dubitatione a Deo conditus est et conservatur; ita totum hunc ordinem politicum, foedus conjugii, imperia, dominorum distinctionem, contractus, judicia, poenas, verissime statuas a Deo institutum esse; et quamquam hominum furores saepe eum turbant, tamen immensa bonitate Dei conservari, ne totum genus humanum funditus deleatur.“ Et alio in loco[2]): „Sicut astronomia est cognitio motuum coelestium, qui divinitus ordinati sunt, ita philosophia moralis est cognitio operum, videlicet causarum et effectuum, quos Deus ordinavit in mente hominis“.

Quibus rebus expositis ipsa Melanchthonis studia ethica sententiasque morales tractemus.

Hic autem praecipue cogitandum esse videtur Melanchthonem paulatim progressum esse a praedestinatianismo absoluto ad augustinismum puriorem et ab augustinismo puriore ad synergismum, qui vocentur. Quod qui factum sit, non longa explicatione eget, clarissime enim elucet e „locorum communium“ editionibus, quarum alia post aliam facta est. Quas si quis accurate comparabit sine ullo dubio cognoscet, re vera Melanchthonem vehementer sententias suas mutasse,

---

[1]) C. R. XI., 912.
[2]) C. R. XII., 690.

paulatim liberaliores opiniones concepisse, postremo ad synergismum processisse.

Idem ex operibus quoque ethicis, quae scripsit Melanchthon plane apparet. Sed transeamus ad ipsa illa opera, quae ad hanc disputationis partem valent:

Melanchthon cum alia Aristotelis scripta in universum laudans, tum imprimis ejus moralia commendans anno MDXXIX et postea commentarium in Ethica Aristotelis edidit[1]) invitavitque aequales, ut magis illum philosophum perlegerent, amarent, ab eo discerent. Neque enim quemquam illustrare posse, quid esset discrimen inter philosophiam et evangelium, qui non didicisset utrumque doctrinae genus. Praeterea saepius non tantum in foro sed etiam in ecclesia dicendum esse de aliqua legis parte, de virtutum civilium definitionibus etc.; hinc autem exemplum methodi sumi posse cum talis materia esset explicanda. Sed non tantum tali modo methodi causa tractavit Aristotelicam ethicen sed etiam ex ipsa materia discere studuit; nam in „epitomes philosophiae moralis“ duobus libris ab eo anno MDXXXVIII scriptis et postea saepius editis ipsam Aristotelis Ethicam imitatur. Dicit in dedicatione ad Christianum Pontanum scripta de hujus libri origine et ratione haec[2]): „Cum Aristotelis Ethica enarrarem, addidi hunc commentarium, in quo non solum sententiam Aristotelis, sed methodum etiam sequor, verum ita ut quasdam addiderim disputationes nostris temporibus magis aptas, quas quidem collegi et quod moribus prodesse eas arbitrabar et quod formant judicia de multis communibus negotiis ac praeparant studiosos ad jus civile et ad eam partem doctrinae theologiae, quae

[1]) C. R. XVI.
[2]) C. R. III., 359.

continet praecepta de civilibus officiis". Optimum autem et maxime egregium Melanchthonis librum ethicum est, qui inscribitur: „ethicae doctrinae elementa"; quem edidit anno MDL. Omittam quae praeterea scripsit in hoc genere, omittam „commentarios in aliquot politicos libros Aristotelis" et alia Melanchthonis ethica scripta atque accuratius illa „ethicae doctrinae elementa [1])" tractabo:

Quae quamquam Melanchthon „elementa" nominavit, tamen magni momenti sunt, nam frangunt revera mediae aetatis doctrinam de moribus, quae tunc dictabatur, improbant praecepta et Stoicorum et Epicureorum, volunt ipsius Dei voluntatem totius doctrinae ethicae fundamentum esse.

Quibus in rebus exponendis iterum Aristotelis sententiis utitur Melanchthon, ut suasmet ipsas sententias comprobet.

Ac primum quidem interroganti, quid sit philosophia moralis respondet [2]): „est explicatio legis naturae, demonstrationes ordine in artibus usitato colligens, quantum ratio judicare potest, quarum conclusiones sunt definitiones virtutum seu praecepta de regenda disciplina in omnibus hominibus, congruentia cum decologo, quatenus de externa disciplina concionatur". Unde apparet, minime praecepta philosophiae moralis repugnare praeceptis ecclesiae, quod eadem ipsius illius legis, quae in ecclesia quoque pronuntietur, sint pars quaedam [3]). Quin etiam contendit, hanc doctrinam praecipuam utilitatem afferre etiam ecclesiae, cum in ecclesia necesse sit, conferri doctrinam coelestem et philosophicam, in qua collatione utrumque genus

---

1) C. R. XVI., 165 sequ.
2) C. R. XVI., 167. sequ.
3) C. R. XVI., 170. sequ.

doctrinae fiat illustrius et dulcius, porro ecclesiam quoque cum de iis materiis loquatur, quae proprie ad legem pertineant, multa hinc sumere videlicet nomina virtutum, definitiones, doctrinam de lege naturae, et magis concinne definire et dividere virtutes eos posse, qui hae doctrina praeparati sint. „Has utilitates contemnere, inquit magna barbaries est, in qua multa insunt vitia. Deinde omnis honestarum artium contemptus contumelia est adversus Deum, qui luce artium genus humanum ornavit et quidem haec moralis doctrina, cum incorrupta traditur, est sapientia congruens cum mente divina, et maxime perspicuum testimonium est in natura, ostendens esse Deum."

Deum autem summum hominis bonum esse ostendit in iis, quae sequuntur, cum dicit: „est ergo finis hominum Deus ipse, communicans nobis suam bonitatem, cum eum vere agnoscimus et celebramus". Ac si philosophi dicant, ipsam virtutem esse finem, christianos intelligere in ipsa illa appellatione et hanc summam virtutem, ut Deus agnoscatur et omnes honestae actiones ad Deum referantur ita ut revera virtus sit finis hominis. Quam ad rem confirmandam Aristotelica demonstratione illustri utitur in illius Physica nata: „Certissimum est, in qualibet natura finem esse propriissimam ejus naturae actionem. Ideo enim est propria, quia ad hanc actionem natura praecipue condita est. —

Actio virtutis est propriissima homini. —

Igitur actio virtutis est finis". — [1])

Cui demonstrationi quae argumenta Epicurei opponunt Melanchthon gravissimis verbis refellit. Affert autem praecipua et speciosissima Epicuri argumenta; exempli gratia hoc afferam:

---

[1]) C. R. XVI., 173. s.

„Finis cujuslibet naturae est hoc, ad quod ultro magno impetu natura fertur, non illud, quod difficulter agit aliunde impulsa, ut lapidis motus deorsum naturalis est, sursum violentus. —

Tendit autem humana natura ultro ad voluptatem. Econtra vero difficulter obtemperat legibus. —

Ergo voluptas est finis."

Egregie Melanchthon non tantum theologicis argumentis revincit hunc errorem malarum appetitionum incendium ad naturae humanae depravationem referens, sed etiam philosophicis, cum demonstrat, minime totam naturam ad voluptatem ferri, quoniam mens persaepe et ante factum et post factum repugnet atque tristissimi delicta sequantur cruciatus. Nequaquam autem eam rem aut actionem naturae finem esse posse, quam ipsa tota natura post factum tam horribiliter aversetur. Eodem modo ceteras quoque Epicuri opiniones oppositas omnino falsas esse demonstrat.

Quibus expositis respondet interroganti, num recte a Stoicis sit dictum, solam virtutem esse bonum atque discrimen facit boni naturalis et boni moralis contendens[1]): „Bonum naturale est ipse Deus et deinde res quaecunque condita a Deo, congruens cum ordine in mente divina ideoque placens Deo suo loco, ordinata ad aliquos usus Deo placentes, ut sol, terra, cibus etc., sed bonum morale est ipse Deus videlicet sapientia aeterna et immota in Deo ordinans recta et sanciens discrimen inter recta et non recta, et voluntas Dei semper colens recta, deinde vero in hominibus bonum morale est tantum actio seu motus seu habitus congruens cum sapientia aeterna et immota Dei,

---

[1]) C. R. XVI., 180. s.

patefacta in lege divina, quae et in creatione insita est mentibus hominum et postea voce divina promulgata."

Caput autem totius ethicae a Melanchthone dictatae est doctrina de virtutibus. Circumscribit Melanchthon virtutem Aristotole auctore sic[1]): „Virtus est habitus, inclinans voluntatem ad obediendum rectae rationi." Planeque cognoscit, hanc definitionem causas monstrare et rectum judicium mentis et liberam voluntatem recto judicio obedientem, quae quidem causae adjuventur doctrina et naturali inclinatione et disciplina. Capit nos hoc loco praecipue, quod docuit Melanchthon de voluntatis libertate.

Jam supra commemoravi, Melanchthonem paulatim progressum esse a praedestinatianismo absoluto ad augustinismum puriorem et ab augustinismo puriore ad synergismum, qui vocantur. Cum primum „locos communes" ederet adeo determinismum rectum esse judicabat, ut a doctrina de peccato et depravatione totius naturae humanae initium caperet et omnem libertatem et internam et externam negaret atque causam omnium agentium tantum ex absoluta Dei praedestinatione peteret. Paulatim veterum philosophorum opera pertractans ex illis laqueis se exuebat atque illo ipso tempore, quo „elementa" scripserat, plane non dubitabat, quin aliqua voluntatis libertas hominibus esset insita.

Consideremus, quibus argumentis necessitatem Stoicam refutaverit:

Animis infixam refutationem illius erroris et firmam et perspicuam hanc esse judicat: „Cum certissimum sit, Deum non esse causam delictorum nec velle nec efficere nec adprobare

---

[1]) C. R. XVI., 183.

delicta et condidisse rationales naturas ita, ut bonae essent: sequitur naturas rationales sua voluntate libere, sine ulla necessitate et sine ulla coactione se avertisse a Deo.“ Quod quidem argumentum fulcire et sustinere studet verbis illis, quae inveniuntur apud Platonem in libro II. de republica scripto[1]): „*κακῶν δὲ αἴτιον φάναι θεόν τινι γίγνεσθαι, ἀγαθὸν ὄντα διαμαχετέον παντὶ τρόπῳ, μήτε τινὰ ταῦτα λέγειν ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει, εἰ μέλλει εὐνομήσεσθαι, μήτε τινὰ ἀκούειν, μήτε νεώτερον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρῳ, μήτε ἄνευ μέτρου μυθολογοῦντα ὡς οὔθ᾽ ὅσια ἂν λεγόμενα, εἰ λέγοιτο, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν, οὔτε ξύμφωνα αὐτὰ αὑτοῖς:*

Tum affert hae tria argumenta praecipua, quibus Stoici necessitatem, quam contendunt, fulcire student:[2])

Primum: „Determinatio divina est immutabilis et necessario vera. —

„Omnia eveniunt Deo determinante. —

Ergo omnia eveniunt immutabili necessitate.“ —

Secundum: „Causae connexae movent necessario. —

Omnes eventus fiunt a causis connexis. —

Ergo omnes necessario fiunt. —“

Tertium: „Impossibile est, duas contradictorias simul veras esse. —

Haec est vera: Cicero erit consul. —

Ergo impossibile est contradictoriam veram esse.

Si impossibile est, hanc veram esse: Cicero non erit consul, sequitur alteram necessario veram esse: Cicero erit consul.“ —

Quorum quidem primum argumentum solvere studet

---

[1]) p. 380.

[2]) C. R. XVI., 195. sequ.

Melanchthon ad Minorem (propositionem) respondens, determinationem divinam dissimilem esse in iis, quae pendeant proprie ab ipsius Dei voluntate et in aliis quae principaliter aut proprie oriantur a nostris voluntatibus. Deum aliter exempli gratia determinare venturam resurrectionem et similia, quae sint ipsius propria opera, aliter praevidere et determinare scelera hominum, quae permittat. Hanc praevisionem seu determinationem prorsus nullam afferre necessitatem voluntati nostrae. Rectissimeque ad Majorem respondet, determinationem divinam esse immutabilem et necessario veram scilicet necessitate consequentiae, quae non afferat simpliciter necessitatem. Cognovit Melanchthon, Deum, cum hominem liberum esse voluisset, sibimet ipsi fines terminosque constituisse, extra quos egredi non posset.

Quod autem attinet ad alterum Stoicorum argumentum, subtiliter demonstrat Melanchthon, confundere Stoicos ordinem naturalium agentium atque liberi arbitrii actus. „Revera manifestum est, inquit, coeli motum necessarium esse. Deinde manifestum est, et inferiora corpora affici a coelo, nec aliter se habere, quam sicut afficiunter a coelo, ut in aestate accedente sole terram calefieri necesse est. Hinc sequunter ordine naturali alii effectus, generatio frugum et alii.“ Neque vero ex hoc ordine naturalium agentium procedendum esse ad voluntaria, nam in ipso opificio hominis experientiam testari, locomotivam libere regi a voluntate futurumque fuisse, ut totus ordo politicus frustra institueretur, si homines non possent legibus obedire in externis actionibus aliquo modo regendis.

Tertium argumentum revincit confutatque Minorem negans. Cum futurum nondum habeat „esse“, propositionem de futuro contingenti nondum esse veram humano judicio sed incertam

esse, sicut res nondum esse coeperit. Atque provocat ad Aristotelem, qui expresse declaraverit, veritatem esse proprietatem comitantem „esse“ rei, sicut res habeat „esse“ sic veram esse propositionem. Futurum autem non habere „esse“ ac fieri posse, ut omnio non eveniat.

Egregie quoque illas scripturae sacrae sententias (Philipp. 2, 13. Proverb. 16, 9. Jerem. 10, 23. al.), quas in Stoicam opinionem transformabant opponentes, interpretando explanat atque demonstrat, eas minime ad necessitatem spectare.

Liceat huc locum quoque afferre, qui invenitur in illo libello, quo Melanchthon librum confutationis a Flacio Illyrico redactum et anno MDLIX editum refutavit, se Luthero et vivo et mortuo deliria illa Stoica ac Manichaica rejecisse, quibus capti cum Lutherus tum alii docuerint, omnia opera, et bona et mala, in omnibus hominibus tali modo i. e. per necessitatem fieri. Neque enim posse dubitari, quin hae voces et a verbo divino dissentiant et ab omni morum vitaeque disciplina abhorreant. Quae cum ita sint, se subtiliter ac diligenter disputasse, hominem cum jam ante renationem libero arbitrio utatur, multo magis hac esse libertate praeditum post renationem, spiritu sancto duce et auctore.

Sane quidem in medio itinere substitit neque constantem sententiam vere philosophicam mente comprehendit neque arte philosphica sed naturali quodam sensu judicat, sine libertate voluntatis humanae veram moralitatem impossibilem esse. Quae quamquam ita sunt, tamen collaudamus, quod quas tunc tenebat seculum opiniones fortiter impugnabat jugumque exuebat, quod Lutherus in hac quoque quaestione imposuerat aequalibus.

Sed ut eo, unde egressa est, referat se oratio, pergamus in contemplandis „elementis“ a Melanchthone scriptis:

Magnum pretium statuit Melanchthon doctrinae de affectibus[1]) primum ut discrimen virtutum et affectuum cognoscatur, deinde ut fontes considerentur bonorum et malorum affectuum, tum ut Stoici errores refutentur, qui omnes affectus tolli voluerant. Circumscribit autem affectus esse appetitiones, quas quidem distribuit in appetitum naturalem, appetitum sensuum, appetitum rationalem. Naturalem vocat appetitionem cibi et potus; sensuum appetitionem duplicem esse vult aut propriam quae sit in nervis toto corpore sparsis videlicet delectationem et dolorem; alios esse contendit motus sequentes cognitionem. Quod attinet ad affectus, qui proprie sunt in corde aut voluntate, ut de metu, spe, amore, odio, laetitia, hanc definitionem tenendam esse judicat:[2]) „Affectus est motus in corde aut voluntate, sequens cognitionem, quo prosequimur aut fugimus rem oblatam, et quemcunque alium affectum comitatur ad extremum in corde laetitia vel tristitia“.

Quibus rebus expositis refutat Melanchthon Stoica deliramenta primo demonstrans, minime affectus esse opiniones, secundo minime vitiosos esse, tertio minime tollendos esse e natura nec tolli posse. Tum revertitur ad virtutem definiendam atque repetit definitionem illam: „Virtus est obedientia voluntatis et ceterarum virium congruens cum lege, quam et indidit Deus hominibus in creatione et postea manifestis testimoniis in ecclesia repetivit.“ Quam quidem definitionem fulcire studet cum locos Aristotelicos tum Platonicos conjungens cum doctrina ecclesiastica. Distributionem autem et enumerationem virtutum sumit e decalogo, in quo expresserit Deus voluntatem suam et ordine eruditissimo virtutes distribuerit.

[1]) C. R. XVI., 201 sequ.
[2]) C. R. XVI., 202.

Postquam tali modo virtutes primae et secundae tabulae, quae vocantur, tractavit, copiosius in secundo elementorum libro quid sit justitia exponit atque venusta illa definitione utitur, quam Plato in libro de republica a Simonide traditam esse scribit:[1] „Justitia est constans et perpetua voluntas suum cuique tribuens“. Ipsam justitiam distribuit in justitiam universalem et justitiam particularem[2]. Universalem definit Melanchthon, Aristotele auctore, esse obedientiam erga omnes leges in societate, quae honestis legibus regatur, particularem justitiam eam virtutem esse vult, quae regat officia debita aliis hominibus in conservatione id est quae tueatur personarum ordinem vel efficiat aequalitatem in contractibus et in compensationibus delictorum et poenarum.

Dein sequitur adumbratio disciplinae, quae jus naturale vocatur, qua quidem in disciplina adumbranda ad Aristotelis auctoritatem se confert Melanchthon.

Sed quid multa? Vereor, ne longus in hac re esse videar, clarissime enim elucet, Melanchthonem, etiam si non semper ad perspicuitatem et planitatem plenitatemque sententiarum progressus sit, vel in Ethicis permultum praestitisse inter aequales.

Et quantam vim habuerunt illa studia ethica ad totam illius viri theologiam! Longum est, ea omnia dicere, sed hoc breviter dicam:

Rectissime monstrat Dornerus[3], professor ille theologicus Berolinensis nuper defunctus, Melanchthonem, quomodo et intelligere et sentire solebat ethice, toti ipsius theologiae speciem ethicam impressisse. Qua quidem indole Melanchthonis theologia

---

[1]) C. R. XVI. 226.

[2]) C. R. XVI. 223.

[3]) Dorner, Geschichte der protestantischen Theologie p. 260. 270.

differt et a theologia Lutheri et a dogmatismo ecclesiae catholicae et a protestantismo posterioris temporis scholastico. Hoc tantum afferre liceat: Apud Melanchthonem fides purgatoria semper fiducia est misericordiae promissae propter Christum, qua a fiducia certissima non mechanice sed dynamice repetitur universa vita ethica christiana. Nam cum homo christianus per illam fiduciam certissimam amorem Dei in Christo patefactum complexus sit ac comprehenderit, fieri non potest, quin summo amore erga Deum inflammetur, qui ipsum prior amaverit. Ac cum amor, quo verior et purior est, eo magis sua natura ad agendum deducatur, necessario fit, ut homo christianus, qui per Dei amorem ad amorem erga Deum incensus sit, per amorem erga Deum, quem in animo intimo infixum (residentem) habet, ad recte honesteque agendum deducatur atque incitetur et hac ratione ad speciem optimam honestatis christianae non tam externa necessitate coactus quam motu interno impulsus perveniat. Qua ratione omnes actiones honestatis christianae a fiducia gratiae divinae repetitas ac vinculo interno inter se conjunctas esse manifestum est. Revera Melanchthon summam justificationis christianae sententiam mordicus, ut ita dicam, tenet, sed elementum ethicum e Lutheri theologia sumit atque sua sponte et voluntate excolit et confirmat. Bifariam Melanchthon proprietatem illam ethicam doctrinae protestanticae de salute hominum adhibere vult, cum doceat, Christianum tantum ethice salutem profecto in rem suam convertere posse atque ipsam salutem ad morum probitatem integritatemque ducere Christianum opus esse, ut revera Christianus fiat homo optime moratus.

Quae cum ita essent, notionem „peccati originalis“ suis finibus, exiguis sane, contineri volebat, ne causa necessaria

peccatorum actualium videretur. Itaque in regione justitiae civilis quoque, ut ita dicam, locum dat libertati actionibusque ethicis atque hominem vel in statu peccati subjectum ethicum esse dicit, quod non tantum a Deo ad salutem destinatum sit, sed voluntarie Dei gratiam apprehendere possit.

Eodem modo quod attinet ad fidem, Melanchthon minime premit dogmatice fidem tantum ab ipso Deo creatam esse in homine, sed ethice eam ipsius hominis actionem moralem esse contendit enuntiatque fidem esse „velle et accipere promissionem gratiae divinae“. Quod idem Nitzschius[1]) profitetur, cum neget, Melanchthonem ullam doctrinam fidei cogitare potuisse, quae hominem ad summum studium recte honesteque agendi non gravissime impelleret. Liceat quoque afferre, quod Melanchthon aliquando Camerario suo scripsit:[2]) „Ego mihi ita conscius sum, non aliam ob causam unqnam *τεθεολογηκέναι* nisi ut vitam emendarem“.

Sed non tantum in salute concilianda hominibus sed etiam in salute funditus constituenda, in theologia et christologia, momentum illud ethicum conservare studet. Itaque universa Melanchthonis theologia hoc maxime tamquam summum principium appetebat, ut divinum aeternumque non tam metaphysice per se sed historice in luce revelationis, quae in vita humana manifestatur, perciperet, atque ut fidem salvificam non tam dogmatice per se sed ethice tanquam fontem honestatis comprehenderet[3]).

Sed jam sentio, me esse longuis provectum quam proposita oratio valeret, sequitur ut pauca dicenda videantur, e quibus

---

[1]) Nitzsch, System der christlichen Lehre p. 116.
[2]) C. R. I. 722.
[3]) Herzog Realencyclop. IX. 510.

eluceat, quomodo studia philosophica omnino Melanchthoni dederint illam animi altitudinem, quam admiramur.

Dubitari non potest, quin ipsis studiis philosophicis lenitatem illam, clementiam, indulgentiam, mansuetudinem adeptus sit, quas collaudamus. Semet ipsum enim hominem peripateticum appellat et qui amet mediocritam. Nimirum saepius monstrat, illas virtutes ipsi naturaliter insitas esse, veluti exempli gratia D. Vito Theodoro, conciliatori ecclesiae Norimbergensis, amico suo aliquando scripsit: „τὰς φιλονεικείας scis alienas esse a mea natura“. Quare Erasmus in litteris aliquando ad Julium Pflugium scriptis: „Philippus Melanchthon, inquit, praeter insignem eruditionem et raram eloquentiam habet gratiam quandam fatalem, quam genio suo debet potius quam ingenio, ut cum sit omnibus candidis gratissimus, ne apud hostes quidem habeat quendam, cui sit admodum exosus“. Sed rectissime dicit quis: „ut in leonibus et equis sic in barbaris et non assuefactis saepe est egregia indoles, sed illa suavitas deest, quam doctrina addit, quae animos dulciores et mitiores reddit et flectit ad decorum et condire actiones quadam gratia studet“. Neque quisquam negabit, Constantinum Schlottmann in egregio libello de Philippo Melanchthone reipublicae litterariae reformatore scripto splendida illa atque praeclara Melanchthonis verba afferentem, quibus ille praedicaverit doctrinam judicasse suo jure:[1] „Doctrina liberalis flectit ingenia ad virtutem. Neque fere quisquam adeo est ferrea natura ut litteris et medioeri disciplina non aliquanto fiat mitior. Deinde illud affirmare ausim, eum, qui in studiis assuefit ad amandam et inquirendam veritatem, amare candorem ac simplicitatem etiam

[1]) Schlottmann de Phil. Mel. reipubl. litt. reformatore p. 72.

in moribus et vita. Dulcissimus convictus est cum eruditis et candidis, qui prospiciunt, quid deceat, et certa quadam ratione moderantur omnes actiones et animi impetus quasi freno regunt. Itaque nec dulciores nec firmiores sunt amicitiae quam philosophicae, hoc est eruditorum amicitiae et societate studiorum contractae. Ne Laetii quidem et Scipionis amicitia tantum suavitatis habuisset, si fuissent ἄμουσοι. Quod vero multi ajunt simultatem inter Platonem et Aristotelem fuisse, etsi non libero homines omnibus vitiis, tamen ego judicii dissimilitudinem de forma doctrinae arbitror sine odio et animorum offensione fuisse: ut saepe conjunctissimi homines in senatu, in dicenda sententia sine ulla acerbitate dissentiunt. Nec fuit adeo hebes Aristoteles, ut non intellexerit Platonis virtutes, nec adeo ferreus ut non veneraretur eas". Quibus quidem verbis praeclarissimis tum honoratur, qui iis utitur, tum ii, de quibus verba agunt!

Atque consentiunt cum illis verbis Melanchthonis permulta alia quoque, quibus suum pacis amorem aliquando circumscripsit, afferam exempli gratia haec [1]: „Nolo augere publicas discordias, non solum adeo morosus et φίλαυτος, neminem a me ut dissentire velim, nam omnes in hoc docendi munere conjunctos, qui de summa doctrina consentiunt, amicos inter se esse statuo, etiamsi in explicatione alicujus rei non plane eadem dicunt, et bona fide et quadam philosophica moderatione amicitias multorum colui et colo".

Itaque tam valde querebatur in epistolis mens. Jul. et Aug. anni MDXXIII ad Spalatinum scriptis de Hutteni acerbitate in Erasmum Roterodamum: [2] „Si nescis, Huttenus

[1]) C. R. VI. 105.
[2]) C. R. I. 166.

acerbo scripto in Erasmum invehitur. Indignum plane facinus"! Et alio loco: [1]) „Est huc allatus Hutteni libellus (expostulatio adversus Erasmum), nihil nisi mera *συκοφαντία*. Tametsi non nihil hanc causam laeserit Erasmus, tamen aequum fuerat dissimulare; certe Hutteni nihil retulit, tam acerba oratione invehi in hominem grandem natu et bene studiis meritum. Sed quid dicam. Mala mens, malus animus"! Et quam odiosus invisusque fuerit Melanchthoni furor iste theologorum, planissime elucet ex epistola ad Joachimum Camerarium data (de dat. 3. Jan. MDXXIV.), in qua in veniuntur haece verba: „*περὶ θεολογικῶν* erant certe, quae scriberem; sed quoties illius controversiae in mentem venit, mirabiliter excrucior et pene exanimor. Utinam urgerentur, omissis *μωρολογίαις*, ut vocat Paulus, ea quae aedificant conscientias. Video, video Joachime, in publica causa privatis affectibus nimium indulgeri. Itaque valde quoque dolet de controversia inter Erasmum et Lutherum exorta. Queritur in epistola ad eundem Camerarium data (11. Apr. MDXXVI.): [2])„Ecquid unquam legisti scriptum acerbius, Joachime, quam Erasmicum *ὑπερασπιστήν*, est is plane aspis. Quo animo acceperit Lutherus, nondum scio. Sed ego jam iterum obtestatus sum hominem per omnia sacra, ut si quid respondere velit, breviter, simpliciter ac sine conviciis disputet etc." Eodem modo in litteris ad Brentium scriptis adhortatur: „Omnino jam nobis illa Ullissea philosophia utendum est, multa ut tolerantes multa dissimulantes in hunc unum scopum intenti simus, ut prohibeamus, ne exulceremus *τὰ σκάνδαλα*".

Nimirum negari potest, hanc Melanchthonis gravitatem interdum perturbatam fuisse atque tempore non nunquam

---

[1]) C. R. I. 626.
[2]) C. R. I., 793.

caliginem offundisse ejus animo. Quam injuste judicat de Cinglianis! Anno MDXXIX (17. Maii) scribit ad Hieronymum Baumgartnerum, senatorem Norimbergensem [1]): „Foedus cupiunt facere Argentinenses et alii quidam Cinglianae doctrinae jurati cum nostris et cum vestra urbe. Ea de re putavi, vos admonendos esse, teque oro, mi Hieronyme, ut meam hanc solicitudinem boni consulas. Moveor conscientia, ut ad vos de hac re scribam. Quaeso autem, ut quantum poteris des operam, ne recipiantur Cingliani in ullius foederis societatem. Neque enim convenit, impiam sententiam defendere aut confirmare vires eorum, qui impium dogma sequuntur, ne latius serpat venenum“. Atque in epistola ad eundem virum de dato 20. Jun. MDXXIX scribit de eadem re: „utinam illa conjunctio impediatur. Nam mori malim, quam societate Cinglianae causae nostros contaminari“.

Sane quidem postea, cum ipse de coena Domini liberiorem sententiam accepisset, non jam eodem modo adversus Cinglianos hostilia faciebat sed affabiliorem sese praestabat.

Paulatim non statim, postquam philosophiae studiis imbutus est, his studiis litterisque liberalibus excultus et ad politiorem humanitatem deductus, illam mansuetudinem accepit Melanchthon, qua exsuperabat omnes aequales!

Nam quod usque ad obitum litterarum artiumque libertatem defendit atque pro principio illo protestantico de libertate cognoscendi atque investigandi propugnavit, quis est, quin intelligat, eo adductum esse Melanchthonem tantum studiis philosophicis. Nam ipsis illis studiis iterum vocabatur ad cognoscendos progressus in universo litterarum genere et in percipiendis eis rebus, quas ad cognoscendas animi hominum sua natura

---

1) C. R. I., 1070.

impelluntur atque indole. Itaque hodie quoque praedicari licet de Melanchthone, eum fuisse patronum liberalioris scientiae evangelicae et „das lebendige Programm der Flüssigerhaltung des evangelischen Lehrbegriffs in der Reformationszeit", quo nomine vocatus est.

Fulgent autem hae virtutes illustriores, si cogitamus, quam aequo animo omnes illas injurias receperit, quas ei propter illas virtutes inferebant adversarii. Vae! quanta toleravit Melanchthon! Mitto, quae tulit illo vitae tempore, quod in litibus conterebant ejusdem aetatis homines de „Interim Lipsiaco", de „adiaphoris" etc., revoco nos tantum ad illos annos, 1536—1539, cum ei habitationem Vitebergae miserrimam facerent inimicitiae istae solicitationesque variae, quibus impugnabant ejus dignitatem homines isti Nicolaus Amsdorfius et alii, quos omnino deficiebat amor mansuetudinis philosophicae et praeceptorum artis et veritatis vere doctorum. In epistola anno MDXXXVIII ad Leonhardum Fuchsium quendam scripta queritur: „Ut Promethea ad caucasi saxum ferunt alligatum fuisse, sic me fatum aliquod hactenus quidem ac diu nolentem quodam modo tenuit. Beatum me ducerem, si mediocri repub. Germaniae in optimis studiis apud vos et inter tales amicos, tanta eruditione, virtute ac fide praeditos consenescere possem." Atque in epistola ad Camerarium suum. an. MDXXXIX (27. Nov.) dicit: „me dolores animi, quos tuli toto triennio acerbissimos et continuos, et caeterae quotidianae aerumnae ita consumpserunt, ut verear, me diu vivere non posse."

Luthero autem defuncto Melanchthonem reformationis ducem esse oportuit. Sed tunc fanatici Lutherani Flacius Illyricus, alii, eum impugnabant, quod doctrinam falsam profiteretur

in ecclesia et descivisset a praeceptis Martini Lutheri. Quis est, quin doleat istorum hominum furorem et injustitiam! Quis est, quin delectetur Melanchthonis mansuetudine et moderatione!

Unum tantum Melanchthoni exprobrare possumus, quod persaepe nimis diligenter aliorum rationem habuit, ipsius animi constantiam neglexit, a rerum suarum respectu se abstraxit. Si saepius suo judicio usus fuisset, melius fecisset atque majora profecisset.

Possum praeter ea, quae jam supra commemoravi, multa dicere, e quibus elucet, Melanchthonem persaepe ad aliorum arbitrium non ad suum vixisse, possum locos citare, e quibus intelligatur, ipsum quoque aegre acerbeque tulisse hunc statum deteriorem. Ex magna copia illud sumere liceat, quod Jacobus Planckus, olim Gottingae professor theologicus, in eo libro attulit, qui inscribitur „Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs“ Enarrat ille doctor, Melanchthonem, cum objurgaretur, quod Lutheri praeceptis infirmis levibusque de coena Domini datis non fortius repugnasset, quamvis ab iis tantopere dissentiret, aliquando lamentatum fuisse: „Utinam in aliis locis essem, ubi fortior esse possem in hac causa publica, nam istis in locis, inter istos homines video mihi non permitti liberiorem confessionem. Et tamen tandem dicendum erit, quod res est, atque oportebit aliquando confiteri et pati. At quam vellem me jam posse loqui et pati, modo in locis essem, ubi liceret“.

Sane quidem multum utilitatis haberet, si quis singula colligens demonstraret, quantopere Melanchthon e Lutheri arbitrio penderet. Neque vero hujus disputationis est, de hac re uberius longiusque dicere. Praeterea notum est et apud omnes pervulgatum, Melanchthonem persaepe Lutheri imperio gravi, iniquo, acerbo ingemuisse. An non aliquando questus

est: „Tuli etiam antea servitutem paene deformem cum saepe Lutherus magis suae naturae, in qua *φιλονεικία* erat non exigua, quam vel personae suae vel utilitati communi serviret“. Nemo nisi qui fanatico quodam errore urgetur defenditque Lutherum in iis ipsis rebus, in quibus defensione minime dignus judicandus est, hunc locum, quem modo attuli, negliget.

Sed jam dicendi finem faciam; perspicuum est, Melanchthonem catenis constrictum fuisse. Aquilae consimilis est in caveam inclusae, quae pennis se levare non potest. Utinam liber fuisset, ad quem volatum evolasset! Dixi.

Vita.

Natus sum ego Otto Fridericus Riemann die XII. a. Cal. April. MDCCCL Schoenebeck a/E., in parvulo provinciae Saxonicae oppido, patre Gustavo, quem mihi ante duos annos morte ereptum lugeo semperque lugebo, et ex matre Luisa, e gente Schwalenberg, Dei gratia superstite. A patre meo omnibus illis artibus imbutus sum, quibus pueri III. gymnasii classem ingressuri solent institui. Humanis tum litteris studui in gymnasio Wernigerodensi et postea in gymnasio Burgensi, ubi maturitatis testimonium mihi comparavi Wintero rectore, quem quidem virum optime de me meritum amo amaboque. Deinde viginti et duos annos natus in universitate litterarum Berolinensi summa cum delectatione animi acroasibus et theologicis et philosophicis intereram. Quod attinet ad res theologicas maxime mea intererat, accuratissime cognoscere novum testamentum et res dogmaticas et ethicas, ideo praecipue scholas Twestenii et Dorneri virorum illorum honorificentissimorum nunc jam defunctorum magno cum studio frequentavi atque commentationes aliquas ad illa doctrinae sacrae genera pertinentes lingua latina scribere conatus sum. Audivi praeterea doctores Kleinert, Semisch, Dillmann, Steinmeyer, Lommatzsch, Brückner, Plath et praeter illos professores theologicos

etiam professores philosophicos Harms et Zeller; quibus omnibus maximas habeo gratias singulares autem v. ill. P. Kleinert, qui prae ceteris studiorum meorum adjutor atque moderator fuit. Cum per sex semestria ad litteras in Academia incubuissem et tum examinibus theologicis satisfecissem anno MDCCCLXXVI in vico provinciae Brandenburgensis, cui nomen est Neuschadow, pastoris munus mihi delatum est. Illinc anno MDCCCLXXIX pastor Magdeburgum vocatus sum, ubi adhuc vivo et publicis muneribus fungor, cum praeter munus pastorale munere quoque scholastico fungar atque religionem christianam doceam in schola Divo Guericko dedicata.

Thesen:

I. „Ilias malorum inerudita theologia“: dieses Diktum Melanchthons wird durch die Kirchengeschichte bewahrheitet.

II. Die Theologie wird niemals der Philosophie entbehren können.

III. Melanchthons Theologie verdankt ihr ethisches Gepräge hauptsächlich seiner Beschäftigung mit der philosophischen Ethik.

IV. Lessing hat mit der Herausgabe der Fragmente des handschriftlichen Werkes von Reimarus über die natürliche Theologie der Kirche einen Dienst thun wollen.

V. Julian Apostata überragt bei weitem den „christlichen“ Kaiser Konstantin den Grossen und dessen Söhne an ethischer Grösse.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 13 09 25 02 012 5